

pœnas exigi. Hæc ex Pitisco; ex Gravina vero quæ se-
quuntur: Item & Praœcones, qui vel ad hastam in auctio-
nibus stabant, ut oblata pretia significarent; vel in comi-
tiis magistratum, ut populum cogerent ad suffragia, &
de signatos renunciarent; vel in iudiciis & quaestionibus,
ut judices, & reos, & accusatores, & testes, accident;
vel, subjiciente Scriba, ferendas leges populo recitabant;
vel in concionibus audientiam faciebant.

A Praœconibus aliquando Lictoribus præcipie-
batur, ut supplicia a reis, apud Romanos, exigerent.
Quod dicebatur, Praœconem jubere, Lictorem lege
agere; hoc est, ut ex officio suo ageret, & sententiam
in damnatos exequeretur. Apud Livium legimus 26.
15. quod Fulvius, Romanus Consul, capta Capua,
animadvertere volens in Campanos Senatores, Praœ-
coni imperavit, ut Lictorem lege agere juberet. Praœ-
cones demum liberos homines fuisse, & ex Romanis civi-
bus electos, passim historici tradunt.

Ad Viatores accedimus, quorum munus diceba-
tur, Senatores ex agris vocare, quoties Senatus co-
gendus esset. Testimonium habemus apud Tullium de
fene&curre. c.16. *A villa in Senatum arcessebantur, & Cu-*
rius, & cæteri Senes: ex quo qui eos arcessebant, Via-
tores nominati sunt. Et apud Colum. præfat. i. illis tem-
poribus Proceres in agris morabantur, & quum consili-
gium publicum desiderabatur, a villis arcessebantur in
Senatum; ex quo qui eos arcessebant, Viatores nomi-
nati sunt. Traectu temporis hoc etiam nomine vocati
sunt, qui Tribunorum, & Ædilium Plebis, jussu,
quemlibet comprehendebant. Livius adducitur testis
11. 56 *ardens ira Tribunus Viatorem mittit ad Consu-*
lem, Consul Lictorem ad Tribunum.

Gravina etymologiam repetit a via, quia ius*tu*

ma-